





3, 76. 344. 11  
§ 1306

V.  
11

SPECIMEN IVRIS GERMANICI

DE  
NOBILIBVS  
VRBIVM GERMANIAE  
CIVIBVS PACTITIIS

325  
1758, 7

QVOD  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO  
ERN. AVG. CONSTANTINO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM  
ANGARIAE ET WESTPHALIAE REL.

ILLVSTRI FACVLTATI IVRIDICAE  
INTER  
IVBILAEI SECVNDI IENENSIS ACADEMIAE  
SOLENNIA

ANNO MDCCLVIII MENSE FEBRVARII  
CELEBRATA

PRO  
IMPETRANDO IVRIS VTRIVSQVE LICENTIATI  
GRADV  
OBTVLIT  
BENIAMIN HAEVESCHE  
HAMBVRGENSIS.

HAMBVRGI  
LITTERIS I. C. PISCATORIS AMPLISSIMI SENATVS TYPOGRAPHI.

428





SPECIMEN IVRIS GERMANICI  
DE  
CIVIBVS VRBIVM GERMANIAE  
NOBILIBVS PACTITIIS.

PROOEMIUM.

**N**on ignobile, de *Ciuihus Vrbiu[m]*  
*Germaniae Nobilibus Pactitiis*,  
argumentum, equidem superi-  
ore Seculo, edito *Vlmae 1667.*  
in *Quarto*, Libro, \* multa eruditae diligen-  
tiae laude, in inuestigandis cumprimis huius  
A con-

\* cuius index: *Beschreibung der  
Adelichen und Erbaren Ge-*

*schlechter in den vornehmsten  
Reichssaedten.*



conditionis *Ciuiibus*, tractauit, laudatae quondam memoriae Iurisconsultus et Syndicus Ciuitatis S.I. Campidonensis, MICHAEL PRAVNIVS, sed quum post eius excessum, praeclara Rerum Germanicarum monimenta, chartae, diplomata in lucem producta fuerint, quae consulere haut potuit optimus Vir, ex iis Speciminis loco conducere observationes quasdam, non inutile et Iuris Germanici studiosis forte non ingratum erit.

§. I.

Priscos Germanos hosque inter ingenuos, ex quibus successu temporum nobiles inferioris ordinis orti, *Vrbes* primum in magna Germania nullas habuisse, inque Cis-Rhenana, Norico, nempe et Rhaetia, a Romanis extractas, studiose vitasse, historici Romani, vnici fere testes iidemque fide digni, annotarunt. C. enim TACITVS \* de Germania sui

\* de M. G. Cap. XVI.

fui aevi, imperante Traiano, confirmat: *Nulas Germanorum populis Vrbes habitari satis notum est, ne pati quidem inter se iunctas sedes. Colunt discreti et diuersi, ut fons, ut campus, ut nemus, placuit.* Ex testimonio porro AMMIANI MARCELLINI \* constat: *Germanos Trans-Rhenanos possedisse quidem diuersas Vrbes a Romanis captas, non vero ipsas, sed eorum territoria, inhabitasse, nam ipsa scribit oppida, ut circumdata retibus lustra declinant.*

## §. II.

Ad conditas a Romanis in Germaniarum prouinciis Vrbes ductae amplissima Coloniae; cumque his plures ex Familiis Romanorum patriciis, Viros concessisse, vti de *Colonia Agrippina; Augusta Treuirorum; Augusta Treboccorum; Rauracorum*, aliisque constat, quorum aliqui magistratus ciuiles,

A 2

\* Libro II. cap. III.



les, gesserunt. Sane AEGIDIUS GELENIVS, Historiographus Coloniensis, optime meritus, \* longa ferie *Familias Romanorum* recenset, quae *Coloniae Agrippinae* Nobiles Ciues dederunt. An Romanae Nobilitatis progenies superfit in *Treuiris* inuestigauit ALEXANDER WILTHEMIVS in *Luxemburgo Romano*, recensente reuerendissimo IOANNE NICOLAO ab HONTHEIM. \*\*

### §. III.

Eas autem in Vrbes quas Henricus Au-  
ceps Germaniae Rex, instaurator patriae pro-  
uidentissimus, in Saxonis, Thuringicis et  
vicinis partibus condidit, vel iam exstructas  
communiuit, ab eodem *militēs agrarios*  
in hisce Urbibus collocatos fuisse, conducet

SIGE-

\* eolue Librum Secundum  
egregii Libri de admiranda  
sacra et ciuili magnitudine  
Coloniae Claudiae Agrippinen-  
sis Augustae Vbiorum Urbis  
inscriptum: de illustribus Fa-

miliis in Ciuitatem Vbiorum  
Roma deductis, p. 113.

\*\* *Historiae diplomaticae Tre-  
virensis* Tomo III. pag.  
1024.



SIGEBERTVS GEMBLACENSIS, \* his ver-  
 bis: *ex MILITIBVS agrariis* (qui ingenui  
 liberique erant,) *NONVM quemque eligens,*  
*in Urbibus habitare fecit, ut ceteris confa-*  
*miliaribus suis octo habitacula construeret,*  
*frugum omnium tertiam partem exciperet*  
*seruaretque, ceteri vero octo seminarent et*  
*meterent frugesque colligerent nono, et*  
*suis eas locis recondent.* Quod institutum  
 salutare in periculosissimis Hunnorum Sla-  
 uorumque inuasionibus, in rure degentibus  
 liberis ingenuisque Germanis fuit multosque  
 seruauit, quibus pereundum fuisset, effecit-  
 que vti successu temporum placeret militi-  
 bus agrariis, vitae vrbicae securitas, com-  
 moditas et luxus.

## §. IV.

Verosimile est, hosce milites agrarios  
 plerosque admotos Officiis Magistratum,  
 A 3 quos

\* Chronico ad an. 925.



quos Reges in Urbibus ordinarunt Scultetorum, Aduocatorum aliisque, vix tamen putandum omnes ciuilibus huius modi officii admotos fuisse, vel eadem munera saepe taedio suscipere voluisse, sed tanquam liberos ciues vixisse. In quibusdam tamen Ciuitatibus ad praestationes et collectas ad salutem publicam necessarias obligatos fuisse constat. ANONYMVS enim scriptor *Historiae Ciuitatis Imperii Vlmae* de Ciuibus Nobilibus Vlmanis haec annotauit: *musten (zu Vlm) ihre Steuer iaehrlich bezahlen mit 10. 20. ia wohl gar 100. fl. und wann die pacifirte Zeit aus war, ihre Nachsteuer wie andere Bürger geben. Sie musten sich auch obligiren, in der Stadt Recht zu geben und zu nehmen und einem geschwornen Bürger-Meister und Hauptmann zu Feld gewaertig zu seyn.*

## §. V.

Huius liberae conditionis Ciuum numeros insigniter auxerunt perturbatissimi Regni Germanici status infelicia tempora quibus ciuilibus bellis arsit, et per sic dictum *Ius Manuarium* omnia turbabantur, quumque *Treugae* et *Pax Domini*; *Paces publicae*, ad breue saepe tempus promulgatae, securitatem publicam in agris maxime uiuentibus, praestare haut possent, Principes, Comites, Dynastae, in excelsis rupibus, montibus, locis accessu difficilibus, castra, burgosque condebant, quibus custodiendis defendendisque militares viri sub nomine Burgmannorum adhibiti, alii suis *Keminatis* et adiectis turribus confisi, se vt poterant, aduersus inuadentium vim et iniurias defendebant, alii vero in *Vrbes regias*, aliasque munitas concedentes *Ciuitatis Ius*, honestis conditionibus, adquisuerunt. Hanc causam adquisiti contra mores veteris Germaniae

*Iuris*

*Juris Ciuitatensis* agnoscit quoque AVCTOR  
 quem laudauit ANONYMVS *Historiae Ci-*  
*uitatis Imperii Vlnae* dumque crudeles  
 motus intestinos circa annum 1371. com-  
 memorat, addit illustres et nobiles permul-  
 tos securitatem quaerentes Ius Ciuium im-  
 petrasse, hisce verbis: *Und daber hat auch*  
*seinen Anfang genommen das PAKTBVRGER-*  
*RECHT in denen Staedten, denn weiln auf*  
*dem Lande nichts sicher war, so begaben*  
*sich Grafen, Praelaten, Abbe, Aebtissinnen*  
*und Edelleuthe auf eine gewisse Zeit von 2.*  
*3. 6. bis 10. oder mehr Jahre in das Bürger-*  
*Recht in dieser oder iener Stadt und wurden*  
*PAKTBVRGER genannt, von dem Pacto, wel-*  
*ches sie mit der Stadt also gemacht: Addit*  
*aliis Causis acceptae Ciuitatis a nobilibus et*  
*illustribus ANTONIVS MATTHAEVS in eru-*  
*ditissimo de Nobilitate Opere Libro II. cap.*  
*XVI. p. 323. has: Nec mirum quod ad Nobi-*  
*les quod Ciuitas iis tanta. Ciuium summa*  
*vis. Nec bellum nec Pax valida, si in alia*  
*omnia*

omnia irent ipsi. *Castra, Arces, oppida, in Ciuium potestate.* Defectus porro pecuniae, quo medio aeuo saepe laborarunt illustres nobilesque viri eos permouerunt, vt *Ciuitatum* opulentarum, pro pecunia mutuo data, *Ciuiibus* accederent. Ex multis quae prostant exemplis, adduxisse sufficiat *Albertum* Comitem de *Gleichen*, qui grato adgnoscit animo: \* *quod Consules, ciues et vniuersitas Exffordensis, nos et nostros haeredes in eorum familiares et CONCIVES fauorabiliter receperunt centum Marcas vsualis argenti plenarie nobis dantes etc.*

§. VI.

Quum successu temporum *Vrbium* Germanicarum opus et potentia commercii crescerent, eaeque in calamitosis illis temporibus cum vicinis principibus territoriorumque dominis saepe *Faidas* haberent bel-  
laque gererent, multi *Dynastae* et *Nobiles* militiae ciuitatensi se addixerunt, lautis stipendiis illecti, aliisque de causis permoti.

Qui

\* conuentio extat in B. CASPARI SAGITTARII, Hi-

storia der Grafschaft Gleichen, Libro I. p. 68.



Qui vt Ciuitates de fide sua certiores redderent, Ciuium tabulis nomina sua adscripserunt et consueta *Ciuiibus* sacramenta praestiterunt.

§. VII.

Quandoque et nobiles viri Vrbiu[m] incolae, cum rebus Ciuitatum se immiscerent et non raro motus excitarent coacti fuerunt, vt *Ciues* fierent, et *iuramentum Burgensum* facerent, vt clare ex IACOBI KOENIGSHOVEN *Chronico Alsatae et Argentoratensi* \* patet, vbi ad annum 1372. memorauit: *Do man zalte MCCCLXXII. do frogete men die EDELLÜTE zu Strosburg welre bürger were oder nüt, do sprach etlicher: er were in der stadt geseßen alse sin vordern, und etliche so sie der stette bedurftent so sprochent sü, sü werent BVRGERE und was men in denne beholfen also den BVRGERN. Aber wenne man sü hies etwas der stette zu helse dat in nüt wol gefiel so sprochent sü, sü werent nüt BVRGERE, noch bettent mit der Stette nüt zutunde. Sus wolten sü die Wege*

\* §. CXLIV. p. 328.

*Wege bede han. darumbt gebot men zu Strosburg das ein ieglich EDELMAN zu Strosburg solte sich erkennen innwendig eine monade das er BVRGER wer und solte auch de stette sweren also burger tunt oder solte aber zeihen ior von der Stat sin.*

## §. VIII.

Auctis sic Urbium Germaniae per accessum ingenuorum nobiliumque virorum habitatorum numeris, in varias classes diuisi Ciues in *Liberos* nempe *Freybürger*, qui in certas Familias Gentesque *Geschlechter* descripti, et ceteros, Mercatores, mechanicarum artium cultores, opifices, aliosque vulgares, qui per temporis quoddam interuallum ex parte seruilis conditionis fuerant. Obseruauit id curate ex monumentis Ciuitatensibus CHRISTOPHORVS LEHMANNVS,\* rerum patriae peritus, de Ciuibus hisce liberis scribens: *haben allein von Feldt vndt Weinbau, von Soldt vndt Verehrungen damit sie im Krieg von Kaisern vndt*

B 2 Koe-

\* *Chronico Spirensi* Libro IV. c. XIV.



*Koenigen belehnt vnnnd begabt, vnnnd von ibren Renten vnnnd Zinsen gelebt.*

§. IX.

Quae summatim de *Ciuiibus Nobilibus* obseruauimus collustranda sunt ex monumentis fide dignis, eundo per aliquot nobilissimas Germanici Regni Ciuitates cum immediatas, tum mediatarum quasdam nobiliores.

§. X.

*Argentoratensis* Imperii Urbis quondam plane insignis, *Ciues Nobiles*, in *Koenigsbovii Chronico* et adiectis IOANNIS SCHILTERI plenis bonae frugis annotationibus et vetustis chartis plures curiosus harum rerum Lector deprehendet.\*

§. XI.

In Vrbe *Aquensi* regali, regni sede principali, prima Regum Germaniae Curia, *Ministeriales* plures, ex quibus plerique nobilium orti in hanc Ciuitatem concesserunt, Magistratui adhibiti inque *Scabinos regios* electi,

\* conf. §. VI. huius opusculi.



electi, quorum nomina feriemque PETRVS  
 a BEECK, Imperialium Ecclesiarum in Aquis  
 B. Mariae Canonicus et ad D. Adelberti Prae-  
 positus, \* conquisiuit, hoc ordine: *perseue-*  
*rant enim etiam nunc in Vrbe hac complura*  
*gentilitia nomina aedium, quas olim NOBI-*  
*LITAS INDIGENA, vel FINITIMA incoluit,*  
*domicilium Anstel, Schonforst prius Domino-*  
*rum de Schonhawen, in praesentiarum Bins-*  
*feldianorum est, domus de Güsten, cuius*  
*nominis stirps mascula satus (ad quam spe-*  
*ctasse aiunt toparchiam de Güsten in tractu*  
*Iuliae) longo aeuo absumpta est, Grunsfeldt*  
*et Dullart aedes primum ad eius nominis fa-*  
*miliam, postea istae ad Anstenradios, hae ad*  
*dominos de Alstorff pertransiere, simili mo-*  
*do habitacula Hochkircken, im Hag, in*  
*der Candel, Schaffsberg, Drimborn, Bi-*  
*schhoffstaf eiusdem nominis familiarum fue-*  
*re, sunt et aliae, quae partim intercide-*  
*runt, partim adhuc supersunt priscae prosa-*  
*piae Aquis ac in viciniis celebres, quas*  
 inde recitat.

B 3

§. XII.

\* Aquisgrano, siue historica Nar-  
 ratione de regiae sedis Aquen-  
 si Ciuitatis origine et pro-

gressu editio Aquisgrani 1620.

4. C. I. p. 10.



## §. XII.

Antiquissimae quondam Regiae, nunc  
 Archi-Episcopalis *Augustae Treuirorum* Urbis  
 Ciuium matriculis adscripti ex pacto, non in-  
 ferioris solum, sed et superioris Nobilitatis  
 Viri et Principes. In grauibus enim cum  
 Archi-Episcopis suis vicinisque controuerſis,  
*ſaluo ſtatu praerogatiuisque*, ac ſolutis ſtipen-  
 diis largis, viros egregios militares nobiliſſi-  
 mosque *Dynaſtas* Ciuitati ciuili nexu obliga-  
 runt. Horum *Pactorum* locupletiffimi teſtes  
 ſunt CHRISTOPHORVS BROWERVS,\* hiſce  
 verbis: *Treuirorum ciuitas per haec ipſa*  
*tempora quoque, vt erat tunc acuum, et*  
*homines oppido florebat, etenim ſuis facul-*  
*tatibus, non illa bellum modo in annos prope*  
*ſingulos diu ſuſtentauit, ſed praemiis etiam*  
*poſitis PRAECIPVAM fere NOBILITA-*  
*TEM in Urbem excitam, alios CIVITA-*  
*TIS IVRE, alios religione foederis, plero-*  
*que perpetui beneficii nomine ſibi deuinxit;*  
 in hiſce fuere *Iohannes Schmidburgius, Ni-*  
*colaus Aduocatus Honolſteinius, Gerardus*  
*Har-*

\* *Annalium Treuirenſium* mul-  
 tis in locis, e. g. Tomo II.

pag. 90. 96. Tom. II. §. 106.  
 pag. 261.

*Harrecourtius*, Eques, *Henricus* atque *Fri-  
dericus Fleccensteinii Dagstulii Domini*, hos  
deinde secuti *Iacobus a Rolingen*; *Ioan-  
nes ab Vlmena*, *Gotardus Brandenburgi-  
cus*; vterque *Arnoldus Sirkii*; *Erhardus  
Gimmichus* Berburgensis Dynasta, Comes  
quoque *Rupertus Virnenburgius*. Nomina  
etiam *Ciuum Treuirensium* nobilium et illu-  
strium consignauit WILHELMVS KYRIAN-  
DER \* Syndicus Treuirensis, ex regeſtis Ci-  
uitatis, cui a conſiliis erat, annotans \*\* *Syn-  
grapham Tilmanni de Rodemacra*, *Magiſtri  
Coquinae Archi-Epiſcopi Treuirensis*, in qua  
proſitetur: quod CIVIS Ciuitatis Treuiren-  
ſis ſit factus et Populo Treuirenſi promiſe-  
rit FIDELITATEM. Ex aliis porro Char-  
tis Treuirenſibus, ſeu vt adpellant *Pactis  
Ciucis* \*\*\* patet: *Wirricum* dictum *Lan-  
dir*, a. 1327. Treuirenſem CIVEM fuiſſe effe-  
ctum

\* in *Annalibus Treuirenſibus* P.  
XVII. p. 251.

\*\* l. c. P. XVII. p. 244.

\*\*\* quales chartae in lucem  
additae ſunt ſcripto publi-  
co, cuius Titulus: *Nobili-  
tas Treuirenſis immediate li-*

*bera Imperii demum vindica-  
ta*, ſive *Anti-Apologia, De-  
duction und Demonſtration*,  
*Moguntiae* 1728. 4. germa-  
nice, Documentis adiectis,  
typis impreſſa, p. 142. \*

Etum et ciues hosce eum in CONCIVEM re-  
cepisse. Sic *Egidius* miles Dominus de *Du-  
na* a. 1321. notum fecit: \* *Se effectum fuisse*  
CIVEM *Treuirensis* ipsisque Ciuibus et Ciui-  
tati *corporale* praestitisse *Iuramentum* et pro-  
mississe eisdem astare et fidelitatem obser-  
uare ipsosque et eorum ciuitatem iuuare  
etc. <sup>19</sup> *Jacobus* Dominus de *Moncler* armi-  
ger, a. 1333. Charta sua notum fecit, \*\*  
quod deliberato consilio cum amicis suis ef-  
fectus sit CIVIS *Treuirensis*, ipsisque Ciui-  
bus et Ciuitati praestiterit *corporale Iura-  
mentum* atque fide data promississe eisdem  
astare, assistere et adhaerere et *fidelitatem*  
obseruare tanquam verus eorum CONCIVIS  
etc. Nobilissimus et potens *Ioannes* Co-  
mes de *Spanheim* Dominus de *Starckenberg*  
profitetur: \*\*\* quod Nos Comes effecti sumus  
CIVIS Ciuitatis *Treuirensis* et haberi volumus  
exnunc pro Ciue eiusdem Ciuitatis, pro-  
mittentes eidem Ciuitati et ipsis Ciuibus  
*fidelitatem* tenere, prout VERVS CIVIS fa-  
cere tenetur etc. Ipse insignis nobilitatis et

\* l. c. p. 155.

\*\* *Apologia* laudata p. 160.

\*\*\* extat *Charta* l. c. p. 162.

potentiae *Henricus Comes Luxenburgi et  
 Rupis, Marchio Arluni*, \* an. 1302. professus  
 esse se, teste Diplomate, \*\* CIVEM Urbis Tre-  
 uirensis, eique ac populo eius *fidelitatem* atque  
 benevolentiam addicere, vti Ciuem decet,  
 ipsos Ciues Treuirenses, quicquid ad eam  
 ciuitatem pertineat, vitam eorum ac fortu-  
 nas in suam fidem atque tutelam suscipere,  
 quumque ad *Wenceslaum Ioannis Bohemiae*  
 Regis Filium, Imp. Caroli IV. fratrem *Luxen-  
 burgici Ducatus* dominium delatum esset, ipse  
 eodem modo quo Pater *Iobannes* et auus  
*Henricus Imperator* CIVEM Augustae Tre-  
 uirorum et Patronum et Protectorem se de-  
 clarauit; \*\*\* Idem fecit *Wenceslaus* postea  
 Romanorum Rex, † priscum foedus cum Se-  
 natu Populoque *Treuirensi* renouauit addi-  
 tisque et explanatis capitibus aliquot CIVIS  
 Augustae Treuironum, et Protector et Patro-  
 nus effectus. Idem fecit *Elisabetta Gorkizia*,  
 quae

\*

\*\* l.c. p. 165.

\*\*\* Conf. KYRIANDER *Anna-*  
*lium Treuirensium* P. XVII.pag. 149. adde *Apologiam*  
excitatam p. 167.† KYRIANDER *Annal. Treuir.*  
P. XVII. p. 267. et p. 169. 264.

C



quae *Luxenburgicam* ditionem tenuit, nec non *Wilhelmus* Saxoniae Dux iure vxorio. Plura exempla doctissimus Auctor *Apologiae Nobilitatis Treuirensis*, in *Adpendice Documentorum*, lectu dignissimorum, conduxit.

§. XIII.

*Ulmae* inclytæ Imperialis Ciuitatis S. P. Q. diuersi Comites, Abbates, Abbatissæ in turbidis periculosissimi Seculi XIV. patriæ calamitatibus per inita pacta tanquam CIVES, nomina sua dederunt, quos ex monumentis patriæ suæ annotauit, rerum germanicarum peritissimus scriptor Historiæ Vlmanæ nondum editæ, hisce verbis: *Dergleichen Pact-Bürger waren nun in Ulm von denen Grafen, der Graf von Kirchberg, von Wertheim, von Helffenstein, von Montfort etc. von denen Abbtin und Abbtissinnen, der Abbt zu Kempten, zu Creuzlingen, Weiblingen, Ochsenhausen, zu Kayfersheim, Schüssenried, Probst zu Wettenhausen, Abbtissin von Edlinstetten, Priorin zu Medingen etc. und von Edelleuthen in gemein viel, e. gr. von Stein, von Rechberg, von Freyberg.*

§. XIV.

## §. XIV.

Non solum autem *Ciuitates Imperiales* de deuinciendis sibi inter *Ciues* suos Nobilibus sollicitae erant, sed infelicibus parumque tutis temporibus etiam *Ciuitates* in Ducum, Principum et Comitum territoriis sitae. Nam *Dietberus Comes de Cazenelebogen* in Pacto \* cum *Ciuitate Wesaliensi* a 1260. inito, notum esse voluit: quod is *CIVIS Ciuitatis Wesaliensis factus fuerit, et quod ipsis auxilio, consilio, et fauore tanquam suis CONCIVIBVS in perpetuum sit obligatus, fraude et dolo quolibet excluso, ipsique Wesalienses sibi tanquam eorum CONCIVI e conuerso sint astricti.* De Nobilibus quibusdam *Hohenloicis* in Urbibus insignis huius Comitatus *Ciuiibus*, eruditissimus Vir *CHRISTIANVS ERNESTVS HANSELMANNVS* in egregio opere suo \*\* euoluendus.

## §. XV.

Ne autem fiat exemplis turgida breuis haec obseruatio, taediumque adferat benignis Lectoribus adiungimus saltem *ANTONIVM MATTHAEI* in Academia Lugdunensi Bataua elegantissimum et eruditionis selectissimae Iurisconsultum in nobilissimis suis de *Nobilitate* Commentariis, \*\*\* qui Belgicis comprobauit exemplis, Viros summos et praepo-  
 tentes

C 2

\* quae in *Apologia Nobilitatis Treuirensis* saepe allegata extat p. 157.

\*\* cuius inscriptio: *Landes-Hoheit des Hauses Hohenlohe vor*

*denen Zeiten des grossen Interregni P. I. p. 100.*

\*\*\* Libro II. cap. XVI. p. 307. et Libro IV. cap. XXV. pag. 1089.



tentes nobiles et illustres, Comitem etiam Hollandiae *Wilhelmum* Romanorum post Regem *CIVES Ultraiectinos* fuisse, additque *Gloriae et honorum recipi in Ciuitatem, reiectos aliis obnoxios, adscriptitios, obaeratos et quorum fama minus lacta.*

§. XVI.

Forma et Modus receptionis Nobilium et Illustrium Personarum inter *CIVES* Urbium Germanicarum erat *Pactum*, et *Confoederationis vinculum speciale*, si cum primis illustri et supremae Nobilitati adscripti essent, ideo germanice *Pact-Bürger* dicti. Praestabant equidem *Iuramentum*, quo se ad fidem Ciuis obligabant, sed saluo *statu Nobilitatis*, saluisque Praerogatiuis et Libertatibus suis. Recte igitur *CHRISTOPHORVS BROWERVS* \* de Ciuitate *Treuirensi* Modoque *Obligationis* obseruauit: *Nobilitatem in Urbem excitam, alios CIVITATIS iure; plerosque perpetui beneficii nomine. Wiricus* dictus *Landir* a 1327. hoc modo \*\* se deuinxit: *ipsis promisi et eisdem promitto per praesentes per fidem (nempe ciuicam) et Iuramentum a me corporaliter praestitum ipsos Ciues et eorum Ciuitatem iuuare met-tertio, videlicet cum duobus armigeris mecum in armis expertis, cum equis et platinis, ac aliis armis decentibus armatis quotiescunque a dictis meis CONCIUIBUS Treuirensibus fuero requisitus contra*

\* *Annalium Treuirensium* Tomo II. §. 106. p. 261.

\*\* Confer Documentum in fa-

pe laudata *Apologia Nobilitat. Treuir.* p. 142.



tra quoscunque. Dominus de Duna a. 1321. se obligauit: \* *ipsis Ciuibus Treuirensibus corporale praestitimus Iuramentum et promittimus eisdem astare et fidelitatem obseruare, ipsosque et eorum Ciuitatem iuuare cum decimo in armis cum thoracibus et equitaturis decentibus.* Similiter Dominus de Moncler a. 1333. promittit \*\* *praestito iuramento se adstare et adhaerere uelle tanquam uerus eorum CONCIVIS met-decimo quinto in armis, etc.* Similiter et alii potentes Comites et Dynastae se deuinxerunt simulque non raro *Aperturam* in castris suis promiserunt.

#### §. XVII.

Contra omnes equidem ad seruitia militaria praestanda se obligantes, plerumque tamen, ut iura postulant, vel *Imperatorem, Regem Romanorum* et *Dominos suos directos* praesertim *antiquiorem* excipientes.

#### §. XVIII.

Constituta sunt in *Pactis* et *Conuentionibus* iam laudatis *salaria pecuniaria* aliaque subsidia, e. gr. *Wirrico* dicto *Lantier* singulis annis X. Librae *Treuirensium* denariorum, nec non centum Librae *Turonensium* paruorum in prompta pecunia, aliis maiora, promissa.

#### §. XIX.

\* l. c. p. 155.

\*\* l. c. p. 160.



## §. XIX.

Sed mutato paullo Germaniae statu Nobilium inter *Ciues* receptio grauis et periculosa Principibus Germaniae videbatur. Quum enim a temporibus *Guilielmi* Comitis Hollandiae Regis Romanorum et *Carolo IV.* ac *Wenceslao* imperantibus Ciuitates maxime Immediatae pro conseruanda libertate sua et immediato cum Imperio nexu, auerruncandisque Iuris, vt vocant Manuarii et oppignorationum periculis et damnis, frequenter Foedera inirent, atque multos Nobiles in confortium suum pertraherent pactisque initis nobiles *Ciues* ad defentionem suam deuincerent, *Wenceslaus* Rex Romanorum a. 1378. et condita maxime *Pace Egrana* an. 1389. Nobilibus mandauit: *ne amplius cum Ciuitatibus pacta inirent*, nec se *Ciuium* classibus adscribere permetterent, singillatim Dynastae de *Waltburg* mandans: Ius Ciuitatis *Vlmanae* resignaret. Ast alia *Friderico III.* Imperatori, de seruandis sibi et Imperio Ciuitatibus immediatis sollicito, mens sedebat, qui dato diplomate, permisit: \* *denen Grafen, Kloestern und Edelleuthen sich in das PACTBURGERRECHT der Staedte zu begeben, daher kam erst hernach, das die Stadt so viel Grafen und Edelleuthe zu Soeldnern und Officialen hatte, die sich verobligiret, mit so viel und so viel Knechten, die sie mit sich gebracht, um so viel und so viel Monath-Geld so und so lange zu dienen, und daher von der Stadt zu Officiers angenommen worden.*

\* verba sunt laudati Auctoris *Historiae Ulmenfis* MSCtae.



ULB Halle  
006 669 409


3



NO 7P







3, 75. 344.  
S. 1366  
11  
924  
1758, 7

SPECIMEN IVRIS GERMANICI  
DE  
NOBILIBVS  
VRBIVM GERMANIAE  
CIVIBVS PACTITIIS

QVOD  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO  
ERN. AVG. CONSTANTINO  
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM  
ANGARIAE ET WESTPHALIAE REL.

ILLVSTRI FACVLTATI IVRIDICAE  
INTER  
IVBILAEI SECVNDI IENENSIS ACADEMIAE  
SOLENNIA  
ANNO MDCCLVIII MENSE FEBRVARII  
CELEBRATA

PRO  
IMPETRANDO IVRIS VTRIVSQVE LICENTIATI  
GRADV  
OBTVLIT  
BENIAMIN HAEVESCHE  
HAMBVRGENSIS.

HAMBVRGI  
LITTERIS I. C. PISCATORIS AMPLISSIMI SENATVS TYPOGRAPHI.

488